

quod vero super messem siccam cadat fulmen et comburatur, non est per se intentum ab illis constellationibus, quia non agunt intendendo conjunctionem illorum effectum, sed quælibet suum, solum autem causa intelligens, quæ comparat unum alteri, potest intendere tanquam unum ea quæ plura sunt, et per accidens, ut docet S. Thomas statim citandus, præterquam quod illæ constellationes in producendis suis effectibus dependent a dispositione, vel distantia materiæ, quæ si deficiat, frustratur actio cæli, et consequenter fit effectus per accidens. Ad ultimam probationem dicitur, probare quod ratio casualis, et contingentis sumitur penes ordinem ad causas particulares, seu creatas, non respectu Dei, cui nihil est fortuitum.

Ad confirmationem dicitur, quod entis per accidens, in quantum tale, nulla datur causa, sed dicitur causari a Deo, quia id, quod est per accidens in se, potest reduci ad aliquam unitatem, et sub illa causatur, quia potest per apprehensionem intellectus sumi ut unum, et sic ab intellectu potest ordinari per modum unius et intendi, ut dicit S. Thomas I p. q. cxvii, art. 1. Et sic non repugnat etiam id fieri ad intellectum creati respectu eorum effectuum, quorum habet notitiam, et quos potest causare, non tamen respectu omnium, nisi tantum Deus, qui omnia novit, et omnia causat quantumcunque libera, et contingentia. Causæ autem naturales, quia sunt determinatæ ad unum, non possunt ea, quæ sunt per accidens, causare per se.

QUÆSTIO XXVI.

DE INSTRUMENTIS.

In causa efficiente invenitur, et agens principale, quod primo, et principaliter operatur, et instrumentale quod ministerialiter, et secundario, quod non præbet virtutem ipsi agenti, sed a virtute ejus movetur ad operandum, et serviendum ei, tanquam illi subordinatum et dependens, ideoque pertinet hoc ad perfectum tractatum de subordinatione causarum. De hoc ergo duo inquiremus, alterum pertinens ad formale constitutum, scilicet qua virtute constituatur in ratione instrumenti: alterum præsuppositum, an scilicet prærequiratur propria actio instrumenti.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ sit propria differentia causæ instrumentali a principali?

Omittimus in præsentibus instrumenta moralia, quæ ut instrumenta sint, non requirunt aliquid reale sibi superadditum, sed sufficit aliqua denominatio extrinseca, v. g. aliquod pactum vel designatio, aut præsentia, ad cuius positionem causa physica operatur, et sic tale instrumentum solum se habet ut conditio requisita, et metaphorico modo dicitur instrumentum. Agimus ergo de instrumento proprio et influente, a quo physice exit effectus, licet modo ministeriali, et inferiori ad causam principalem. Omittimus etiam instrumentum, quod est ipsa virtus causæ principalis, quæ solet appellari instrumentum, sed improprie, solum enim similitudine quadam dicitur instrumentum, quia est ratio

agendi, et principium quo in virtute formæ agens, ut magis principalis, et subjecti, ut principii quod. Vere tamen ista virtus est virtus et ratio agendi principalis agentis. Distinguitur autem ab instrumento proprie dicto, quod virtus illa solum supponit virtutem radicalem substantiæ, dat vero formalem: instrumentum autem de quo in præsentibus supponit tam virtutem radicalem, quam formalem causæ principalis, et ei ministerialiter deservit; et hoc aliquando est conjunctum principali agenti, ut humanitas Verbo, baculus percipienti; aliquando separatim ut virtus diffusa ab agente, et Sacramentum respectu Christi.

Igitur distinctio hujus causæ principalis ab instrumentali maxime pendet ex duobus, scilicet ex termino, qui est effectus, et ex principio quod est virtus. Ex parte termini oportet videre, quis effectus correspondeat instrumento, quis vero causæ principali, vel quomodo unus, et idem effectus correspondeat utrique. Ex parte vero principii oportet videre, qua virtute, et modo constituatur instrumentum in actu primo.

Circa primum communiter dicisolelet, quod instrumentum debet respicere effectum improprietatem, et excedentem, quia videlicet non assimilatur virtuti instrumenti, sed virtuti principalis agentis. Quod etiam admittit schola Scoti in instrumentis artificialibus, in quibus solum existimat esse propria instrumenta physica, nam in naturalibus non admittit vera et propria instrumenta, quia existimat accidentia non attingere substantiam etiam instrumentaliter. Aliqui tamen absolute existimant causam instrumentalem non attingere effectum principalis agentis, sed solum dispositive conducere ad illum, quatenus aliquid prævium attingit, quo forma aliqua

resultat. Quam sententiam suppresso nomine refert P. Suarez disput. xvii Metaphys. sect. II, num. x, et attribuitur Fonsecae v Metaphys. cap. II, quæst. vi. Ipse vero Pater Suarez ibidem num. xvii et sequentibus, in eo præcise constituit causam instrumentalem, quod producat effectum nobiliorem se, ad quem non habet proportionatam virtutem, sed indiget elevatione superioris; causa vero principalis est, quæ respicit effectum non excedentem suam virtutem, sive partialis sit, sive totalis, unaquæque suo modo. In quo consequenter fundatur causam vitalem in supernaturalibus actibus, qui excedunt propriam virtutem, agere instrumentaliter.

Quantum ad secundum, scilicet quo principio constituatur instrumentum in actu primo, aliqui existimant solum distingui causam instrumentalem a principali, penes denominationem, quia scilicet instrumentalis est illa cui non attribuitur actio, principalis vero cui attribuitur: quod tamen insufficienter dicitur, nam etiam instrumentum denominatur agere, sicut Sacramentum dicitur dare gratiam, minister consecrare, vel absolvere, baculus percutere, etc.

Inter eos vero qui ad instrumentum requirunt aliquam realem virtutem, sive assistentem, sive receptam, duæ sunt sententiæ. Prima affirmat constitui instrumentum in actu primo per aliquam motionem, quæ sit participatio virtutis per modum transeuntis. Ita communiter tradunt Thomistæ, ut Cajetanus III par. quæst. LXII, articul. 1 et articul. IV; Capreolus in IV, distin. I, quæst. I; Nazarius I part. quæst. XLV, art. V, et alii communiter. Eadem in schola Scoti tradi constat ex Patre Fuente II Physic. quæst. VI, difficult. I, articul. II, pro instrumentis artificialibus. Verum est aliquos solum

requirere motionem moralem, id est, quod principalis causa solum per assistentiam suam, et quasi sympathiam reddat instrumentum motum sine alia reali immutatione. Alii vero ponunt realem mutationem in ipso instrumento, quod communius est inter Thomistas.

Secunda vero sententia affirmat, constitui instrumentum in actu primo per potentiam obedientialem activam, qua potest obedire superiori agenti ad agendum, elevari vero hanc potentiam ipso usu seu concursu concomitante causæ superioris, quatenus adjungit sibi talem causam ut sociam, et administram suæ operationis. Ita P. Suarez 1 tom. III partis, disput. XXXI, sect. v, et videri potest disput. XVII Metaphys. sect. II, numer. XIX.

Pro resolutione supponimus triplex esse instrumentum, naturale, artificiale, et supernaturale, quæ distinguuntur ratione effectuum, quos produciunt, scilicet vel naturales, vel artificiales, vel supernaturales, et ad unumquodque requiritur elevatio proportionalis ad talem effectum.

DICO ERGO PRIMO: Necessario requiritur ad causam instrumentalem, quod respiciat effectum nobiliorem se, non tamen in hoc solo consistit ratio causæ instrumentalis. Prima pars admittitur communiter ab Auctoribus citatis, et de illa videri potest S. Thomas III part. quæst. LXII, artic. I, et in IV, dist. I, quæst. I, artic. IV, quæstiuncula I, ubi inquit: «Sciendum quod actio instrumenti quandoque pertingit ad ultimam perfectionem, quam principale agens inducit, aliquando autem non; semper tamen pertingit ad aliquid, ultra id quod competit sibi secundum suam naturam, sive illud sit ultima forma, sive dispositio.» Et hujus ratio manifesta est, quia si instrumentum non attingit effectum perfectionem, seu ultra suam virtutem, ergo

solum attingit id in quod potest sua virtus, et consequenter est causa principalis, siquidem operatur per virtutem quæ adæquat effectum, et assimilat illum sibi, et sic non indiget in producendo talem effectum, deservire, et ministrare alteri, quod est instrumentaliter procedere, cum in se habeat sufficientem virtutem.

Secunda pars conclusionis probatur, quia multæ causæ operantur aliquos effectus ultra propriam virtutem per virtutem participatam ab alio et tamen sunt causæ principales, sicut patet quod aqua, et ferrum calefactum produciunt calorem, et luna illuminata produciunt lucem participando illam a sole, et tamen sunt causæ principales, quia effectus, quos produciunt univoce, assimilantur virtuti receptæ, qua illos produciunt, scilicet calori, et luci. Similiter potentia vitalis, ut intellectus elevatus lumine gloriæ vel gratiæ produciunt actus supernaturales, qui excedunt propriam virtutem, et tamen produciunt illos, ut causa principalis, tum quia illi actus non excedunt virtutem superadditam, a qua procedunt, cum sint supernaturales, sicut ipsa virtus, et solum differunt sicut actus primus, et secundus quod non sufficit ad rationem instrumenti, alias ad omnes actus naturales potentia et habitus se habent instrumentaliter: tum etiam, quia isti actus sunt vitales, ergo procedunt a principio se movente, ergo non solum instrumentaliter moto, et deservienti alteri, sed ut a causa principali, siquidem quod se movet, hoc ipso movet, et operatur ex virtute quam in se habet, nec ministrat alteri, sed sibi nec ab alio expectat moveri, sed a se incipit, quia se movet; istæ autem sunt conditiones causæ principalis, scilicet a qua primo et per se incipit motus, et quæ non deservit et ministrat alteri, sed sibi.

DICO SECUNDO: Propria, et formalis ratio causæ instrumentalis, ut distinguitur a principali, consistit in eo quod operetur, ut motum a principali agente, si ly *ut motum* dicat totam virtutem, et rationem operandi, non vero si dicat solam causam cooperantem, vel conditionem requisitam. Hanc conclusionem paucis verbis indicavit Cajetanus I p. quæst. XIX, artic. VIII, in secunda responsione ad primam rationem Scoti, ubi loquens de causa inferiori, quæ operatur, ut mota a prima, inquit: «Quod cum dicitur causa inferior movet in quantum mota, ly *in quantum mota*, potest denotare causam præcisam, et potest denotare concausam, et si denotet causam præcisam, falsum est, quod causa secunda movet ob hoc præcise, quia movetur, sed etiam ex virtute propria, si autem denotet concausam sic movere causæ secundæ provenit, non ex moveri tantum, sed ex moveri, et modo proprio ipsius causæ secundæ.» Sic ergo dicimus, quod causa secunda principalis, et instrumentum indigent motione superioris ad agendum, sed in causa instrumentali esse motam est causa præcisa agendi, in causa vero principali est concausa, vel conditio requisita. Et hanc conclusionem communiter tenent Thomistæ supra citati, et videri potest S. Thomas III part. quæst. LXII, artic. I, ubi inquit: «Quod causa instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo movetur a principali agente, unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti.» Et art. IV inquit: «Quod instrumentum non operatur nisi in quantum motum a principali agente, quod per se operatur, et ideo virtus principalis agentis habet permanentem, et completum esse in natura, virtus autem instrumentalis habet esse transiens ex uno in

aliud et incompletum, sicut et motus est actus imperfectus ab agente in patiens.» Et in contra Gent. c. XXI, inquit: «Quod instrumentum nunquam adhibetur ad causandum nisi per viam motus. Etenim ratio instrumenti, quod sit movens motum.» Et idem late tradit in IV, distinct. I, quæst. I, artic. IV et III part. quæst. XIX, art. I.

Fundamentum conclusionis est duplex; alterum quoad id quod negat, alterum quoad id quod affirmat. Negat conclusio instrumentalem virtutem esse innatam, tanquam potentia obedientialis activa, nec esse solum extrinsecus assistentem. Affirmat vero esse receptam in ipso instrumento, et per modum motionis derivatam a causa principali. Et quoad utrumque supponit, effectum illum perfectionem, et excedentem, quem respicit, debere ab ipso instrumento vere, et realiter procedere, aliquin sit ab illo non procedit ab instrumento effectus sibi proportionatus, et non excedens, atque adeo nunquam operatur vere, et realiter, nisi ut causa principalis, id autem quod excedit propriam virtutem vere et realiter non operatur, quod est tollere instrumentum reale, et verum, siquidem vere non operatur nisi principalem effectum suum. Quod si operatur effectum illum perfectionem, ergo et influxus in illum perfectior etiam est, quam in proprium effectum, ergo et virtus aliqua supponitur in tali instrumento perfectior, et elevatior ad talem influxum. Consequentia patet, quia omnis operatio seu influxus, cum sit actus secundus, essentialiter supponit actum primum, qui ordinatur ad talem actum secundum, et consequenter sit illi proportionatus, et positive ordinatus ad illum, a virtute enim improporionata quomodo potest exire aliquis actus, siquidem disparate se habet ad illum.

Actus autem primus, et secundus coordinate se habent.

Ex hoc ergo destruitur tam virtus obediēcialis activa, quam virtus solum extrinsece assistens pro constituendo instrumento sufficienter in actu primo. Virtus quidem obediēcialis activa, quia talis virtus si datur in instrumento, oportet quod sit virtus in actu primo, proportio nata ipsi effectui, instrumentaliter quidem et obediēcialiter, sed tamen tali modo, quod sine alia superaddita activitate, vel virtute ab illa exire possit effectus, ad quem concurrat causa principalis, ergo oportet, quod habeat positivum ordinem, et proportionem cum tali effectu, ita quod concursus influens in talem effectum non sit indebitus, nec extraneus illi virtuti obediēciali activæ; alioquin si totum hoc non habet illa virtus, non habet id, quod requiritur ad constituendum instrumentum in actu primo, et in tali virtute, quæ sit influxiva in effectum illum excedentem, sed solum habebit capacitatem, et potentiam, ut constituatur in tali virtute, indigebit autem constitui actu in illa per participationem alterius causæ, siquidem non habet illam a se, et sine illa influere non potest, etiam instrumentaliter in effectum. Rursus hæc virtus obediēcialis activa est congenita ipsi instrumento, et naturaliter illi conveniens, non ab extrinseco superveniens, ergo ex propriis et naturalibus instrumentis ei convenit, et sic ex propriis talis naturæ conveniet aliqua virtus formaliter potens in id, quod excedit talem naturam, quod repugnat, cum ipsa natura a qua dimanat, non sit illi effectui proportionata; ergo neque virtus illa, eujus radix est. Præsertim vero si dari potest instrumentum physicum respectu effectum supernaturalium, quomodo potest ex natura, tanquam ex radice

virtus proportionata formaliter effectui supernaturali dimanare, et in visceribus naturæ virtus attingens supernaturalia confineri?

Quod vero non sufficiat virtus solum extrinsece assistens, et non recepta in ipso instrumento, nec immutans illud, constat quia per talem extrinsecam subordinationem instrumentum non redditur realiter potentius vel virtuosius quam antea, ergo non potest aliquem effectum producere, qui excedat propriam virtutem, causa enim non immutata, nec potentior reddita in se, non potest novum vel majorem effectum producere ex se, quam antea, cum careat principio a quo exire possit talis effectus. Unde videmus, quod ex sola extrinseca denominatione, verbi gratia, quod aliquid sit visum vel cognitum, non potest aliquid amplius efficere vel operari realiter quam sine tali denominatione, eo quod nihil reale ponit in eo, ergo similiter si ex ista extrinseca subordinatione nihil reale additur instrumento, non poterit aliquid amplius operari realiter ex vi illius, quia operatio realiter et vere procedit a virtute intrinseca operantis. Nec obstat quod in aliquorum opinione concursus speciei cum intellectu ad producendam cognitionem salvatur per extrinsecam assistentiam, nam in tali sententia etiam debet dici, quod species non addit aliquam virtutem potentiae, qua active producat ipsam cognitionem, sed solum formationem extrinsecam.

Denique, quod ista virtus instrumentalis solum se habeat per modum transeuntis a causa principali probatur, quia talis virtus non habet radicem in ipso instrumento, quia non oritur ex ejus natura, sed ex alterius participatione; ergo non habet permanentiam in instrumento, nisi ex influxu alterius actuali; proprie autem virtus permanens

datur causæ operanti principaliter, et utenti illa aut semper, aut quando voluerit.

Solum poterit aliquid hæerere, quia character est aliquid permanens in anima, et tamen in sententia S. Thomæ III part. q. LXIII, art. II se habet per modum potestatis, et virtutis instrumentalis, ergo datur virtus instrumentalis per modum permanentis. Sed respondetur, quod character non dicitur virtus instrumentalis etiam in hac sententia D. Thomæ, quasi per ipsam constituatur instrumentum in activitate ultima ad operandum physice effectum supernaturalem, hæc enim non est virtus characteristicæ, sed communis omnibus, quæ per modum instrumenti a Deo sumi possunt, ut instrumenta talium effectuum, sive sint animata, sive inanimata, unde et aqua Baptismi virtutem instrumentalem consequitur ad operandum gratiam, et in verbis, consecrationis prolatis a ministro dari virtutem ad ponendum corpus Christi, docet D. Thomas III part. quæst. LXXXVIII, art. IV. Ergo præter characterem necessaria est alia virtus per modum transeuntis data ipsis verbis, et Sacramentis. Solum ergo character se habet, ut virtus designativa ministri, ut possit quando voluerit exercere valide, vel recipere actiones sacramentales, quæ a Deo recipiant virtutem instrumentalem productivam effectus supernaturalis: et ex hoc ipso quod character non est potestas, solum ad agendum istas actiones, sed etiam ad recipiendum valide, non potest esse instrumentalis virtus ultimo constituens rationem instrumenti, quia hæc solum est ad agendum. Quare ut dicit D. Thomas III part. quæst. LXXXII, art. III ad 2 instrumentum virtutem instrumentalem acquirit dupliciter, scilicet quando accipit formam instrumenti, ut

quando fit aliquid ad hoc, ut instrumentum, verbi gratia securis, et quando movetur a principali agente ad effectum. Ita ergo character est instrumentalis potestas, quasi dans formam instrumenti, seu ministri, sive ad agendum, sive ad recipiendum, non ut virtus instrumentalis ultimo constituens ad agendum.

DICO ULTIMO: Motio principalis agentis elevans instrumentum etiam in instrumentis quæ movetur a Deo, est aliquid prævium in instrumento distinctum a concursu simultaneo. Quid sit concursus, et prævium, et simultaneus, diximus quæstione præcedenti. Sic ergo instrumentum ut elevetur ad producendum effectum, requirit concursum prævium, et non sufficit simultaneus, quia oportet instrumentum constitui in actu primo per modum virtutis proportionatæ, et ordinantis illud ad effectum, ut docet D. Thomas III part. quæst. LXII, art. IV ad 1 et satis constat per concursum simultaneum non constitui causam in actu primo, sed in actu secundo, siquidem ut præcedenti quæstione diximus, non distinguitur ab ipsa actione et influxu in effectum: ergo motio constituens instrumentum in actu primo, et ordinans illud ad effectum non est concursus simultaneus qui effectum facit, et cum instrumento moto et actuato concurrat ad effectum, sed prævium qui causam movet, aut etiam dat ei virtutem per modum actus primi, ut ordinetur ad effectum faciendum, et continuat et coordinat instrumentum ipsi causæ principali, ut virtus ejus quodammodo in instrumentum transfundatur, ut docet D. Thomas in IV, dist. II, quæst. I, art. IV, quæstiuncula III. An vero ista motio respicit terminum in ipso instrumento producendum, dicimus solutione ad ultimum.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur : Instrumentum esse motum a causa principali non dat ei totam virtutem agendi, aliquid realiter imprimendo; ergo non consistit tota ratio instrumenti in hoc, quod operetur ut motum. Antecedens probatur, quia multa instrumenta carent tali virtute per motum illum impressa: ut in instrumentis corporeis, quæ operantur effectus spirituales, sicut Sacramenta operantur gratiam, et phantasma speciem intelligibilem media virtute intellectus agentis; hæc enim instrumenta, nec recipiunt virtutem corpoream, quia hæc est improporcionata effectui spirituali, neque spiritualem, quia hujus non est capax res corporea, ergo non operantur ex virtute per motionem receptam. Instrumentum etiam conjunctum, ut calor in animali non recipit aliquam virtutem per motionem ad producendam carnem, nec enim apparet quid imprimat anima calori de novo, ut carnem producat, cum per se ipsam anima non operetur. Denique, multa agentia non operantur, nisi per impressionem alicujus virtutis, et tamen instrumenta non sunt, ut cælum non operatur, nisi motum ab Angelo, et recipiendo virtutem ab eo, piper, aut vinum non calefacit, nisi prius calefactum: ergo non consistit instrumentum in agendo per impressionem virtutis ex motu causæ superioris.

Confirmatur, quia illa virtus per motionem data instrumento, vel est ipsi affectui omnino proportionata, et sufficiens, vel non; si hoc secundum; ergo ut proportionata fiat, indigebit alia motione, et sic in infinitum, vel egredietur actio a virtute non proportionata, et ruit totum fundamentum supra traditum. Si

primum, jam illa virtus constituet causam principalem, quia cum virtus sit proportionata effectui, et ejusdem ordinis cum illo, assimilatur sibi effectum, et sic constituit causam principalem. Nec refert quod detur ista virtus per modum transeuntis, vel permanentis, hoc enim non constituit formalissime rationem instrumentalis, vel principalis, sed quod assimilet, vel non assimilet effectum sibi. Et instatur in multis, quæ homo operatur per virtutem transeuntem, et tamen est causa principalis eorum, quia causa vitalis, ut actus prophetiæ per modum transeuntis datur, et non permanentis, ut docet S. Thomas II, quæst. CXXXI, art. I et similiter actus charitatis, quando elicitur per auxilium nondum posito habitu in anima, et similia alia exempla multiplicari possunt.

Respondetur ad principale argumentum, negando antecedens. Ad probationem quoad primam instantiam dicitur quod licet aliqui existant, quod virtus illa impressa instrumento corporeo ad effectum spiritualem sit corporea entitative, et spiritualis intentionaliter, sicut species impressa entitative est accedens, et intentionaliter substantia: tamen evidenter S. Thomas docet illam virtutem esse spiritualem, nec repugnare quod subjectetur in corpore, quia datur modo quodam virtutis incompletæ et transeuntis. Ita docet III part. quæst. LXII, art. IV ad 1 et in IV, dist. I, quæst. I, art. IV et in quæst. XXVII de Verit. art. IV, ubi in solutione ad 5 docet: « Quod illa virtus proprie neque est corporea, neque incorporea; corporeum enim et incorporeum sunt differentie entis completi, sed proprie dicitur virtus ad incorporeum, sicut motus magis dicitur ad ens, quam ens. » Itaque virtus illa cum proportionari debeat effectui potius quam subjec-

to, eo quod subjectum elevat ad efficiendum ultra se, si esset virtus corporea, restabat difficultas per quid proportionatur effectui supernaturali faciundo. Et similiter licet species intentionalis in entitate non adæquetur objecto, in virtute tamen adæquari debet ejusdem ordinis esse, ut si objectum est spirituale, species non potest esse corporea, si objectum supernaturale, species propria supernaturalis esse debet; si objectum increatum, species propria supernaturalis esse debet, si objectum increatum, species propria debet esse increata in spiritualitate. Et similiter virtus licet accedens sit, ejusdem tamen ordinis et proportionis cum effectu esse debet.

Ad difficultatem ergo attactam, quomodo virtus incorporea in subiecto corporeo esse possit, S. Thomas perpetuo respondet citatis locis, quod virtus spiritualis incompleta, et per modum motus bene potest subjectari in re corporea, non tamen virtus per modum permanentis, et in esse completo et perfecto. Nec intelligimus nomine virtutis transeuntis, et permanentis, virtutem quæ parvo tempore, vel multo duret, hoc enim per accedens est, sed intelligitur virtus transiens et permanens, completa, vel incompleta ratione muneris et officii, quod exerceat. Quædam enim virtus datur per se primo, et ex natura sua ad constituendum rem in ratione principii operativi, quædam ad continuandum, et subordinandum aliquid alteri principaliter operanti, tanquam illi ministrans in operando, et sic operans non per se primo, sed ministerialiter, sicut etiam in entitatibus quædam dantur, ut principales partes constituentes, quædam ut nexus et colligationes earum. Igitur virtus, quæ non datur ut per se operativa, sed ut

continuativa cum alia principaliter operante, dicitur dari per modum motus, quia licet operativa sit, non tamen hoc habet, nisi ex continuatione actuali ad virtutem principalis agentis, cui ministrat et servit, dum actu operatur, et ideo dicitur per motum dari. Et talis virtus licet spiritualis sit, potest subjectari in re corporea, non absolute, sed quatenus obediens, et subjicibilis est spiritui, et a fortiori Deo, naturaliter enim corpus subjecitur spiritui, et ejus impressionem ac motum recipit; sicut etiam anima rationalis, licet in se spiritualis sit, potest tamen substantialiter informare corpus, quia non est substantia completa, sicut Angelus, sed incompleta; similiter ergo accedens incompletum, et per modum motus poterit informare corpus, eique inhere et actuare. Et hoc ideo, quia corpus non solum est entitas materialis, sed etiam obediens spiritui in ordine ad aliquos effectus spirituales, ut ad movendum et excitandum intellectum per sensus et alia similia: debet ergo esse capax recipiendi motus spirituales, nec tamen similiter spiritus est capax motus corporei, quia spiritus non obedit corpori, nec corpus agit in illum, nec per illum causat effectus corporeos. Et per hanc Philosophiam melius intelligitur quomodo Angelus suo spirituali actu moveat cælum, quomodo intellectus agens utatur phantasmate ad speciem intelligibilem producendum, et voluntas moveat appetitum sensitivum, ac denique potentia superior vires inferiores imprimendo illi per modum transeuntis motus suos.

Ad difficultatem insinuatam in argumento de instrumentis conjunctis jam sæpe diximus, nos non loqui de illis, quia proprie non sunt instrumenta, sed virtutes ipsarum causarum, quæ hoc ipso quod sunt con-

junctæ, vel ab ipsa substantia profluentes, sine alia nova motione superaddita virtutem agendi habent ab ipsa substantia, eo quod virtutes illius sunt.

Ad aliam vero difficultatem de quibusdam causis principalibus, quæ non movent nisi ut notæ, dicitur, quod illæ non movent ut motæ, taliter quod *ly motæ* sit tota ratio causandi, sed solum conditio, vel coadjuvatio requisita, qua posita ipsarum virtus ut principalis operatur.

Ad confirmationem respondetur ex dictis, quod virtus illa instrumentalis est proportionata ad effectum producendum, distinguo; proportionem virtutis ministerialis, et præsupponentis aliam priorem virtutem, a qua derivatur tanquam a principaliori, concedo; non præsupponente aliam priorem, cujus gerat vires, et cui deserviat derivando ex ipsa effectum, nego. Ad rationem autem causæ principalis requiritur virtus, quæ per se primo sit operativa, et non ex ministerio, et derivatione actuali alterius. Neque exempla in contrarium allata quidquam obstant, quia ad actum prophetiæ, vel ad actum amoris, et visionis, quando sine habitu charitatis, et luminis producuntur, requiritur aliqua qualitas supplens vicem habitus, et ideo per se primo operativa est ex natura sua, licet statum habitus non habeat; et ideo per modum transeuntis dicitur dari ratione status, quia licet ex natura sua deberet esse firmiter, et perfecte in subiecto, utpote per modum habitus, tamen quia de facto non existit permanentiter sicut alii habitus, sed in statu imperfecto, dicitur dari per modum dispositionis transeuntis, scilicet quoad statum existendi in subiecto. Motio autem instrumenti, et qualitas Divini auxilii, dati per modum concursus, non ad supple-

dum habitum, et virtutem non solum ratione status imperfecti, sed etiam ex propria natura non sunt per se primo operativæ, sed ut deservientes alteri priori, et principaliori.

Et si instes: Nam illa Dei motio præbet ipsi instrumento virtutem in actu primo; ergo solum dat sufficientiam, et non efficaciam, quia efficax concursus non dat actum primum operandi, sed applicationem ejus ad actum secundum; et sic ultra motionem, qua instrumentum applicatur ab agente per modum elevationis et virtutis, requiretur alia motio efficax ad operandum, sicut in aliis causis principalibus, eritque illa virtus per se operativa.

Respondetur utrumque effectum dari in instrumento mediante motione Dei elevativa, quia et constituitur in actu primo ipsa motione, ut elevativa est, et applicatur ad operandum efficaciter, quatenus actualis usus instrumenti est: non enim repugnat utrumque convenire eidem motioni, quia ex actuali usu et motione causæ principalis descendit in ipsam causam antecedenter ad exitum operationis, et quia datur ut virtus solum deserviens actuali operationi, et ut ministrans et applicans virtutem causæ principalis ad passum et effectum, circa quæ operatur, non est virtus principalis, sed ministrans conjuncta ipsi actuali operationi. Non tamen poterit similiter concursus simultaneus movere causam, et concurrere ad effectum, quia identificatur cum effectu, et actione, non cum causa.

Ultimo arguitur: Vel illa motio est aliquid impressum instrumento, vel non; si non, ergo per talem motionem non magis redditur instrumentum actuatum ad operandum per ipsam quam sine ipsa, quod est destruere fundamentum nostrum.

Si est aliquid impressum, vel est motus physicus, et sic habebit suum terminum, v. g. qualitatem si est alteratio, vel ubi si est latio, et tunc ille terminus, et non motus constituet instrumentum in actu primo. Si vero est motus aliquis nobis ignotus, ad minus hoc ipso, quod est motus, est aliquid imperfectius ipsa re producta, et sic non poterit sufficienter constituere instrumentum in actu primo respectu rei perfectioris: præterquam quod videmus instrumenta separata qualitate aliqua constitui in actu primo, ut sagitta, vel baculus cum impulsu aliquo moventur.

Confirmatur, quia per illam motionem nihil aliud habet instrumentum, quam subiecti, et subordinari causæ principali, quod nihil est aliud, quam obedientialiter se habere ad illam, sed in creatura datur potentia obedientialis, ut in ea, vel media ea fiat quidquid creator disposuerit, ut S. Thomas dicit in iv, dist. viii, quæst. ii, art. iii ad 4, igitur ad rationem instrumenti in actu primo superfluit alia motio præter istam potentiam obedientialem.

Respondetur, aliquos, quos refert et impugnat Cajetanus in part. quæst. lxxii, articul. iv, sentire, quod illa motio producit aliquem terminum in ipso instrumento. Cæterum falsum hoc est, cum instrumentum non moveatur ad acquirendum sibi, sed ad movendum alia. Est ergo ille motus qualitas aliqua per modum transeuntis et motionis, sicut impulsus in securi, virtus in Sacramentis; non autem motus est ad qualitatem, et ita negamus esse alterationem proprie loquendo, quæ qualitatem producat in ipso instrumento ut terminum, sed ipsa motio est qualitas movens, et producens; sed reductive potest ad alterationem pertinere, si est quælibet immutatio per qualita-

tem aliquam factam largo modo loquendo alteratio dicitur, et sicut illa virtus instrumenti est quid incompletum in genere virtutis, ita et in genere alterationis, vere tamen aliquid imprimit in ipsum instrumentum ab actione principalis agentis productum, et derivatum, et in ipso genere virtutis incompletum; nec obstat, quod producat effectum perfectiorem, qui aut dicitur D. Thomas q. xxvii de Veritat. art. iv ad 6: «Incompletus motus potest esse causa ejus quod completum, et supernaturale est, non per modum virtutis principalis, sed instrumentalis.» Ethoc relinquit instrumentum sufficienter proportionatum ad operandum per modum instrumenti deservientis, non sicut requiritur ad causam principalem: instrumenta vero, quæ operantur per impulsam, non operantur per qualitatem completam, et perfectam, sed per modum motionis datam, ut supra q. xxiii de impulsu diximus.

Ad confirmationem dicitur, potentiam obedientialem, de qua loquitur D. Thomas non importare instrumentalem virtutem, aut positivam habitudinem seu proportionem ad effectum supernaturalem, sed capacitatem tantum per modum non repugnantiam ab obediendum Deo, sive ut in ipsa creatura aliquid recipiatur, sive ut per eam aliquid fiat, et hæc est congenita cuicumque creaturæ, seu ipsa entitas creaturæ, ut obediens Deo. Sed ultra hanc potentiam obedientialem requiritur aliqua vis impressa instrumento, ut ipse D. Thomas in illo eodem loco citato, et in aliis multis a nobis citatis aperte docet, nam potentia obedientialis solum potest consistere aliquid ut elevabile, non ut elevatum. Requiritur autem ad instrumentum determinata virtus elevans, tum quia potentia obedientialis de se est indifferens ad omnia, quæ

hil operatur propria virtute, ut habeat effectum ultra propriam actionem, sed nihil omnino agendo ex se, solum recipit virtutem a superiori agente, et illa sola agit, ex hoc præcise non habemus rationem sufficientem distinguendi illud instrumentum a modo agendi causæ principalis; siquidem hoc quod est recipere virtutem, et agere per illam, non est operari ultra propriam virtutem, quia de facto si nihil operatur instrumentum propria virtute, sed tantum recipit virtutem alterius, in nullo ministrat superiori agenti, quia illa virtus ab illo recepta tantum operatur effectum principalis agentis, non illi ministrando, sed præcise effectum emittendo, licet per virtutem emendicatam ab alia, quæ tamen virtus se habeat, tunc ut primo, et per se operativa, non ut motio elevativa alterius actionis sibi ministrantis, et deservientis. Ut ergo tanquam causa instrumentaliter ministerialiter operetur, necesse est, quod habeat aliquam actionem, quæ in quantum propria est ministret, et in quantum elevata ultra proprium effectum aliquid attingat.

Secunda vero pars conclusionis constat pluribus exemplis, nam potest Deus assumere actum immanentem, verbi gratia, cogitationem, vel visionem ut aliquid extra se operentur, ut S. Thomas admittit II-II, quæst. CLXXVIII, art. I ad 1, et tamen actus immanens secundum sibi propria nihil operatur in subjecto extra ubi sit effectus. Similiter instrumenta corporalia, quæ assumuntur ad producendum aliquid spirituale, ut Sacramenta gratiam in anima, ignis toruram in dæmone, nullam dispositionem produunt propria actione in ipsum spiritum, quia propria eorum actio corporalis est, ergo non requiritur actio propria instrumenti ad produ-

cendam aliquam dispositionem in eo subjecto, in quo effectus principalis ponitur. Et ratio est, quia virtus Divina non assumit instrumentum quasi indigens illo, vel effectum ab ipso producto ad principalem effectum producendum, sed solum ut cum communicatione, et consortio illius operetur, ergo sufficit accommodare se modo operandi instrumenti, ita quod ab ipso instrumento exeat operatio aliqua juxta modum suum, et attingat effectum aliquem ultra virtutem propriam, et sic ex parte modi operandi dispositive se habeat, non ex parte alicujus rei operatæ. Quomodo autem illa actio identificetur cum effectu a se distanti, respondetur quod actio illa elevata a Deo est virtualiter multiplex, et plures effectus quasi partiales et inadequatos respicit, sicut impulsus qui plura projicit, calor qui in plura subjecta agit, et sol in omnia inferiora, licet continuata, instrumentum vero in distantia supernaturaliter.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur aliquibus instantiis: Ad probandum non requiri aliquam actionem propriam, ut instrumentum operetur, sed sufficere passionem, vel motum. Nam sufficit contactus unius corporis cum alio ad faciendum miraculum, sicut corpus mortuum ad contactum corporis Elisæi revixit, et mors Christi, ac resurrectio jam præterita efficienter operantur nostram justificationem, ut constat ex D. Thoma III part. quæst. L, art. VI et q. LVI, art. 1, constat autem quod mors non est actio, sed passio, et resurrectio præterita jam non est actio, sed solum manet terminus talis actionis, ergo non requiritur ad operationem instrumentalem propria, et vera actio

instrumenti. Ex alia parte instatur ad probandum, quod si requiritur actio propria instrumenti prævia ad elevationem causæ principalis, etiam requiretur aliquid productum tanquam dispositio ad effectum principalis agentis; ideo enim negat D. Thomas I part. quæst. XLV, art. V posse dari instrumentum creationis, quia instrumentum debet operari dispositive ad effectum principalis agentis, quod in instrumento creationis non invenitur, quia nullum præsupponit subjectum, sed si non requiritur, quod producat aliquid in ipso subjecto, quod de novo fit, cessat ista ratio, quia instrumentum salvatur operando dispositive in uno subjecto, et effectum principalem in alio, ubi nihil operatur dispositive, ergo poterit ad creandum assumi instrumentum, quod operatur aliquid dispositive circa unum subjectum, et nihil circa subjectum, quod creatur.

Ad primam instantiam respondetur in omnibus illis inveniri aliquam propriam actionem, quæ proxime assumitur ad operandum instrumentaliter, nam ille contactus aliquam actionem adjunctam habuit, vel impulsus, quo projectum est cadaver, vel gravitatis, qua descendit, vel etiam aliquam inrigidationem, aut alterius qualitatis alterationem, qua fit contactus corporum secundum qualitates sensibiles. Mors autem, et passio Christi, et resurrectio dicuntur operari instrumentaliter nostram resurrectionem, vel justificationem ratione sui termini, cujus ipsæ sunt conditiones; ut humanitas Christi operetur per suas actiones et imperium tales effectus. Et ita D. Thomas q. LVI citata, art. I ad 3 dicit: « Quod resurrectio Christi est causa efficiens nostræ resurrectionis, in quantum humanitas ejus secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum Divi-

nitatis ipsius. » Et advertit ibi Cajetanus, quod resurrectio Christi se habuit ut conditio ad hoc, ut humanitas Christi esset instrumentum resurrectionis nostræ; et similiter passio, ut esset instrumentum remissionis peccatorum. Quare humanitas passa, et resuscitata est instrumentum divinitatis, mediantibus tamen actionibus, quas facit, vel in nostra resurrectione faciet, quæ distinctæ sunt a sua resurrectione: nam: *Ipsè Dominus in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de celo*, id est, in imperio movente Angelum ad nostram resurrectionem, quod imperium distincta actio est.

Ad secundam instantiam respondetur, non requiri de necessitate, quod illa actio prævia instrumenti producat terminum realiter distinctum ab effectu principalis agentis, sed sufficit eundem effectum producere, licet modo ipsius instrumenti proprio, sufficit etiam producere aliquid in subjecto distincto ab eo, in quo producit effectus principalis agentis, ut cum assumitur actus immanens ad producendum aliquid extra. Nec D. Thomas dixit requiri ad instrumentum, quod operetur aliquam dispositionem ad effectum principalis agentis, sed quod dispositive operatur, in quo multi hallucinantur, putantes idem esse operari dispositive, et operari dispositive; cum tamen salvetur operari dispositive, quando ex parte modi operandi modificat actionem principalis agentis, ut operetur modo causæ inferioris, licet non distinctum realiter effectum operetur, vel non in eodem subjecto.

Et cum urgetur, quod secundum hoc non repugnabit dari instrumentum creationis in vi rationis D. Thomæ, respondetur adhuc repugnare tale instrumentum propter modum operandi creatum ipsius instrumen-

ti, quia actio ipsius cum sit accidens, operatur dependenter a subiecto, unde si Divina actio elevat hanc actionem creatam et juxta modum operandi ejus se accommodat, non potest ex vi illius creare, quia creatio est ex nihilo, et sic opponitur modo operandi actionis, quæ est ex subiecto, et hoc ipso quod actio est accidens non potest non esse in subiecto, et ex subiecto operari. Quam rationem advertit D. Thomas questione illa III de Potent. art. IV.

Quod si instes ex p. Suarez ubi supra, quia ad propriam actionem instrumenti non requiritur, quod sit in eodem subiecto, in quo effectus producit, sed sufficit quod in alio sicut actus immanens existens in anima operatur instrumentaliter ad extra, ergo sufficit quod actio creativa instrumentalis existat in uno subiecto ut accidens, et alibi operetur ex nihilo. Quod explicatur exemplo transubstantiationis, quia etiam transubstantiatio caret subiecto, cum ipsum solum habeat pro termino a quo, et tamen potest dari instrumentum respectu ipsius, ergo ex defectu subiecti non debet denegari instrumentum creationis. Item ad Divinam potentiam non requiritur alia dispositio in instrumento, quam obedientialis, ut obediat Deo moventi, et quod effectus possit ab ipso dependere. Ad hoc autem non requiritur quod Deus accommodet se in modo agendi ipsi instrumento, sed sufficit quod nolit fieri effectum sine consortio instrumenti, et dependentia ab illo, ergo propria actio instrumenti non requiritur.

Respondetur quod bene potest actio esse in uno subiecto in hæcive secundum mutationem ipsius, et operari in alio distante a se, tanquam in subiectum inadequatum per similem mutationem, sed quod elevetur ad operandum extra se sine

ulla prorsus mutatione, sed ex nihilo omnino repugnat, quia hoc ipso quod actio aliqua est motus, et dependens a subiecto, non potest operari sine motu, nisi destruat actio et fiat non immutativa. Et ita poterit Deus intra lineam actionis immutantis, seu motus (et loquimur large de motu, prout etiam comprehendit actiones spirituales, et quæcunque alias, quæ sunt in subiecto) subrogare diversos effectus, vel subiecta, sive distantia, sive indistantia, quæ per modum mutationis attingantur sive contactu reali, sive virtuali; quod vero agat sine ulla mutatione, sicut requirit creatio, quæ est ex nihilo, hoc non potest esse nisi destructa specie illius actionis, quæ ex sua natura est motus, seu mutatio aliqua, si autem creat, creat ut non mutatio, atque adeo non operans modo ipsi instrumento se accommodando, quod esset non uti illo ut instrumento.

Nec obstat exemplum de transubstantiatione, quia est vera mutatio, non formalis, sed totalis, neque enim corpus Christi creatur, sed panis mutatur in ipsum, et ita ex parte subiecti, quod transmutatur, et convertitur potest actio instrumenti elevari a Deo, ut intra lineam mutationis operetur transubstantiationem, quod insinuat D. Thomas in IV, dist. VIII, q. II, art. III ad 3 dicens: « Nihil deperire dignitati corporis Christi, si aliqua creatura accipiat instrumentalem virtutem operandi in id, quod in corpus Christi transubstantiatur. » Sentit ergo D. Thomas instrumentum transubstantiationis attingere subiectum, quod mutatur, et ideo talis actio non amittit rationem mutationis licet elevetur a Deo ad operandum mutationem non naturalem, neque formalem, sed totalem et ita transubstantiationem esse veram mutationem, tanquam conversio ab existenti

in existens, docet late D. Thomas in IV, dist. XI, quæst. I, artic. III, quæstione III.

Ad aliam instantiam responderetur sufficere ad Divinam virtutem dispositionem obedientialem instrumenti, sed tamen ista obedientialis dispositio secundum potentiam est non repugnantia, seu capacitas obedientialis, et secundum actum est aliqua actio, quæ elevatur a Deo, quia nisi ipsum instrumentum vere producat, et agat instrumentum in actu non erit, non potest autem producere nisi actionem, quæ sit accidens, et mutatio.

Ultimo instabis: In aliquibus instrumentis, in quibus non apparet aliqua actio prævia ipsius instrumenti præter operationem principalis agentis, verbi gratia, sigillum imprimens figuram non apparet, quam actionem habeat præter ipsam impressionem figuræ, similiter in serra non datur virtus activa, præter virtutem moventis illam ad scindendum, nam durities non est virtus activa, sed resistiva multo minus quantitas, et figura ipsius serræ activa sunt; neque gravitas, quia hæc solum movet deorsum, et sic serra non scinderet nisi deorsum versus. Item etiam phantasma attingit instrumentaliter speciem spirituale productam ab intellectu agente, et tamen non apparet quid prævium operetur in anima, vel intellectu. Denique, si illa propria instrumenti est prævia ad motionem principalis agentis, ergo distinguitur ab illa, alias esset prævia ad se ipsam, si vero distinguitur, ergo non eodem motu fit, verbi gratia, scisso serræ, et productio lecti, quod negat D. Thomas III part. quæst. LXIII, art.

Respondetur ad exemplum de sigillo et serræ, et aliisque similibus instrumentis operari actione propria, v. g. duritia aut gravitate,

quæ impulsa comprimit Ceram et imprimi figuram; et duritia non solum est resistiva sed etiam divisiva, vel fractiva alterius, sicut et acumen; duritia enim impulsam per se ipsam dividit, aut frangit, acumen penetrat, seu dividit; licet verum sit, quod ad sic dividendum adhuc ut causa principalis dependeat ab impulsu, et motione non quatenus artificiosa, sed quatenus impulsiva præcise, sicut piper, aut vinum non calefaciunt, nisi prius calefacta a stomacho, ab artificiosa vero motione dependet non ad scindendum, sed ad faciendum lectum, verbi gratia.

Ad illud exemplum de phantasma latius dicitur in libris de Anima. Nunc breviter dicitur phantasma non esse proprie instrumentum effectivum intellectus agentis ad producendas species, sed objectum quatenus præbet objecta habilia, ut intellectus agens producat species, quas non sufficit producere phantasma, quia non est intelligibile in actu, sed determinat ipsum intellectum agentem quasi materiam objectivam. Unde dicit D. Thomas I part. quæst. LXXXIV, art. VI in fine corporis: « Quod cognitio sensibilis non est perfecta, et totalis causa intellectiva cognitionis, sed magis quodammodo est materia causa. » Et Cajetanus I part. quæst. LXXXV, art. I in fine, docet quod phantasma proprie non est instrumentum intellectus, sed vocatur large instrumentum, quatenus omnis causa ex se non sufficiens ad aliquem effectum, sed indigens virtute alterius, instrumentum ejus dicitur, sicut etiam color potest dici instrumentum lucis, quia color sine luce non sufficit movere visum. Est tamen differentia, quod lux informat superficiem coloratam informatione reali, intellectus autem agens non informat realiter phantasma neque illi

communicat aliquam virtutem, aut lucem, ut aliqui putarunt, sed illuminat phantasmata, inquit S. Thomas quæst. illa LXXXIV, art. 1 ad 4: « Quia sicut pars sensitiva redditur virtuosior ex conjunctione ad intellectum, ita phantasmata ex virtute intellectus agentis redduntur habilia, ut ex eis species intelligibiles abstrahantur. » Igitur hæc habilitas illuminatio nuncupatur, non vero in se recipiunt lucem spiritualem informantem illa, sed lux spiritalis, si qua datur, est ipsa species producta in intellectu possibili ab intellectu agente determinato per tale phantasma, quod ex conjunctione ad intellectum est sic habile, ut ex illo formari possit talis species.

Ad ultimum dicitur, illam actio-

nem instrumenti aliquando esse actionem præviam, et realiter distinctam a motione causæ principalis sicut ablutio aquæ, et productio gratiæ, quia sunt termini realiter distincti; aliquando vero solum est prævia actio virtualiter, et secundum aliquam formalitatem tantum, quia termini ipsi solum formaliter sunt distincti, et non realiter, sicut quando securis scindendo facit lectum divisio quantitatis, et forma producta per artem non sunt termini realiter distincti, sed formaliter, secundum aliquos respectus, et modus, quibus figura illa, aut divisio perfectior est, et sic sufficit quod actio prævia sit, secundum aliquam formalitatem distinctam a forma artificiosa, non vero realiter sit distincta.

SUMMA TEXTUS

LIBRI PRIMI

PHYSICORUM.

Intentum Philosophi in hoc primo libro est. Primo, tradere ordinem, methodumque procedendi in hac scientia. Secundo, principia rerum naturalium investigare, sententias veterum Philosophorum referendo et refutando. Tertio, tandem propriam sententiam statuendo et probando.

Summa capitis I.

Igitur in primo capite proponit ordinem methodumque doctrinæ in scientiis, scilicet ut primo procedatur ex causis, et principiis, deinde inter principia assumantur ea, quæ nobis sunt notiora, et manifestiora; procedit enim ordo doctrinæ a facilioribus et notioribus. Tertio, inquit ea esse nobis notiora, quæ sunt magis confusa, et universalialia, sicque ab universalioribus procedendum est, cujus rei tria affert indicia. Primum, quia totum est notius parte secundum cognitionem confusam, universale autem est quoddam totum. Secundum, quia in definito et definitibus prius cognoscimus ipsum definitum, ut quoddam totum, deinde definitum, in quantum ejus partes. Tertium, quia pueri a princi-

pio non discernunt, existimando omnes viros patres, et omnes feminas matres. Deinde vero incipiunt unumquodque discernere.

Summa capitis II.

A secundo capite, usque ad quartum, incipit asserere, et impugnare sententias antiquorum circa principia naturalia. Et in hoc capite secundo, primo affert opiniones veterum in genere. Deinde, specialiter agit contra Parmenidem, et Melissum. Quoad primum generaliter reducit opiniones antiquorum circa principia naturalia ad duo capita, nam quidam posuerunt unum tantum dari principium rerum naturalium, alii plura. Ex his qui ponebant unum principium, quidam posuerunt illud immobile, ut Parmenides, et Melissus, alii mobile, ut antiquiores Physici, qui etiam valde divisi sunt, nam quidam dicebant hoc principium esse aerem ut Diogenes, alii aquam ut Thales, alii ignem ut Heraclitus, nullus vero ex illis posuit solam terram esse primum principium, quia propter ejus grossitatem potius existimabant esse compositam, quam simplicem: Prima autem principia